



V 115

Bs 1401

Wegen Schimmelpilzbefall wurde
dieser Band im Jahr 2001
durch Gamma-Bestrahlung sterilisiert.
Verfärbungen sind ohne Bedeutung

litteras ad te quae si iustitia & deinceps
non adiutor pietatis q[uod] dicitur illa
ad te quae si iustitia &
ad te quae si iustitia &

- 1,
- 2, Kock et Frobose De a. natali
- 3, Knobel & Grothaus De anno et die nativitatis.
- 4, Nethi Calvij ep. de vero nativitatibus annos.
- 5, Luiz. Opera-Koyr. 1778.
- 6, Tempus adventus Christi idoneum.
- 7, Hiller Wissenshafte Koyr. 1770.
- 8, Perizonius & Bernfau De descriptione in lucore ev. 2.
- 9, Calixt Histor. Magorum.
- 10, Cellarius & Barif De Magis.
- 11, Goetz de fide Magorum.
- 12, De stella tempore nativitatis Christi a magis conspecta.
- 13, Crantz & Lyzinski De Christi loco natalitio.
- 14, Moebius & Koenig De prodigiis quibusdam.
- 15, Vogel & Grotius De Fabulo Betlehemitico.
- 16, Georgius & Clementius De canticione Symonis cygnei.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA.
DE
STABULO BETH-
LEHEMITICO IN QUO
HUMANI GENERIS REDEM-
PTOR NATUS EST

CONTROVERSIAM

Extrane an intra urbem situm fuerit
FORTUNANTE DEO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPTE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.
AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ CONSENSU
IN ACADEMIA AD PREGELAM REGIA

P R Ä S I D E

M. DAVIDE VOGEL
STUDIORUM PROMOTORE ac AVINCULO COLENDISSIMO

Publicæ Eruditorum censuræ exponit

GODOFREDUS BRETTSCHEIDER Reg. Pr.
IN ACROATERIO PHILOSOPHICO.
ANNI MDCCVI. Die 10. Febr.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

INCLYTÆ REIPUBLICÆ LOEBNICENSIS
PATRIBUS CONSCRIPTIS
VIRIS

PRAE-NOBILISSIMO, NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS
LONGO RERUM USU AC PRUDENTIA MAXIME SUMMIS,
CONSPICUIS DOMINIS

- DN. MARTINO Jeschken / Consuli Gravissimo
spectatissimoque
DN. HIERONYMO Höpner / Pro - Consuli multo
meritissimo
DN. GEORGIO Emmerich / Med. D. & P.P.
DN. CHRISTIANO Zornifau / Judici spectabili
DN. HEINRICO Pöpping /
DN. PETRO Glogau /
DN. GODOFREDO Klein /
DN. JOHANNI Kinder /
DN. JACOBO Kühn /
DN. JACOBO Rohden /
ut &
DN. CHRISTIANO Johansen / Secret. vigilantissimo,

MAGNIS MUSARUM PATRONIS, MOECENATIBUS atq. EAUTORIBUS
SUIS SUMMO OBSERVANTIA CULTU ETATEM DEVENERANDIS

Specimen hocce Academicum ex Historia Ecclesiastica
depromptum ad le suaque studia commendanda cum cali-
dissimo omnigenæ felicitatis circa Novi Anni primordia voto
submissæ offerte
RESPONDENS.



§. I.


 Um ante Annum sub Praesidio nostro Disputatio in
 lucem emissâ sit Historico - Chronologica de
FESTO NATIVITATIS CHRISTI dulcissimi
 Servatoris nostri, ubi de Loco ipsius Nativitatis
 inter alia quamvis indirecte saltim & per obliquum actum
 fuit, eandem Materiam directe nobis tractandam sumere
 eamq; paulo plenius persequi in animum induximus nostrum;
 ac id quidem eo magis, quod inter Eruditos equidem con-
 veniat in stabulo Bethlehemitico Servatorem natum geni-
 tumque esse, intra verò Urbis pomeria an extra Stabulum il-
 lud situm fuerit, non item. Ante verò quam diversa senten-
 tiarum divortia recensemus, bona Methodi ratio de Urbe
 seu Civitate Bethlehem quadam in antecessum commentari
 jubet. Quod itaq; ipsam Urbem seu Vicum attinet, dictus fuit
 quasi *Domus Panis* itemque *תְּהִלָּה נֶזֶר* ob fertilitatem.
 Ephrata namq; bene observante Hieronymo linguae Hebrææ
 peritissimo uberem atque frugiferam terram sonat in com-
 mentario suo ad Mich. cap. V. confer Fr. Spanhemium in Dub.
 Evangel. pag. 388. Vocatur alias πέλει Δαβίδ Civitas Davidis
 Luc. c. II. v. 4. procul dubio quod David in hac ipsâ Urbe in
 lucem editus atque educatus fuerit. Quæ causa existit, cur Dan.
 Adrichomius in Theatro T. S. Urbem hancce tanto nomine
 titulōque esierat, eam totius Regiæ & Davidicæ stirpis Semi-
 narium vocando. Ubi tamen sedulò cavendum, ne Bethlehem
 Judææ cum Bethlehem Civitate in forte Tribus Sebulon
 non procul à Bethulia & Mari Galilæo sitam, cuius mentio
 Iosuæ cap. IX. XI. v. 15. injicitur, confundamus vide Petrum
 Ravanell in Bibliothec. Sacra Part. I. sub voce Bethlehem p.
 337. Quod situm hujus Civitatis spectat non nisi uno milliari
 germanico, vel maximè sesquimilliari ab Hierosolymis di-
 stat, prout ex Itinerariis Palæstinæ hoc ipsum constat. Quod

ipsum etiam ex Johann. Werli à Zimber & Henrico à Stoessel probat Ægidius Strauchius celeberrimus olim Historicus, Mathematicus ac Theologus, qui subinde longitudinem atq; latitudinem hujus loci mathematicè delineavit peculiari dissertatione Historico-geographica Wittenbergæ clim habita de Patria Messia §. VIII. & seqq.

§. II.

Stabulum in quo Servator natus est Evangelista hisce describit verbis: οὐτοὶ τὸν γένος τὸν περιττὸν οὐτοὶ τὸν απόδινον αὐτὸν εἰ τὸ Θάτιν, διὸν εἰν ἡ αὐτοῖς τὸν θεόν εἰ τῷ καταλύματι ε. Et peperit Filium suum primogenitum, ac facit eum involvit reclinavirg. eum in præsepi, quod non esset eis locus in diversorio. Luc. II. v. 7. Ubi non existimandum ligneum forte sed fæxo incisum fuisse stabulum. Est enim Hierosolymitana & Bethlehemita regio petrosa, quod ipsum Strabo Lib. XVI Geograph. hisce tradit verbis: ἐν γαρ περιοίης αὐτῆς μήτε λιβαρίας κακής, έχον γένια περιοίης, την δὲ ιεράτερην εδίαινη, οὐτε περιεστατωμένην. Est enim loquitur de loco ubi Hierosolyma sita fuit locus saxosus aquis ipse quidem abundans, cum regio circumféreritis ac si uia sit & intra sexaginta stadia etiam solum habeat lapideum inferne. H. I. Hic Barradius querit, an Evangelista iptam Speluncam seu stabulum diversorum appellet? an vero per καταλύμα seu diversorum aliam forte domum innuat à spelunca seu tabulo distinctam ac divertam, in qua locus defuerit, ut in speluncam seu stabulum Virgo se abdere coacta fuerit. Sed ut ut vel maxime prius ipsi probabilius videatur, nobis tamen posterius ex probabiliori aliqua causa ex Matth. cap. II. v. 11 de sumpta arridet confer ejus Commentar. in Concordiam & Historiam Evangelicam Tom. I. Libr. VI I. cap. 14. De Præsepio quoque in quem Rex Regum Dominusque Dominantium reclinatus fuit, hic queritur, utrum ligneum an vero lapideum fuerit? Autor Orationis de Nativitate Christi

Christi, quem Chrysostomum communiter dicunt, quod tam multi in dubium vocant, luteum fuisse existimat. *Nos*, inquit, *quasi pro honore tulimus luteum & possumus argentum*, *sed mihi pretius est quod oblatum est*, &c. Barradius vero ejusq; Antesignanus Baronius Lib. Annalium ligneum fuisse contendunt, audacter etiam scribunt, ~~apxemtum~~ Romam nunc possidere. Sed cum Barradius facile prævideat fore, ut ipsi obiciatur autoritas Borehardi, qui in rupe illud excisum fuisse optima fide & ~~conscientia~~ scribit, ponit quidem sic esse, ita tamen ut illi lapideo ligna addita fuisse velit, qua tamen in re à Cordatioribus nulla ipsi fides habetur. conf eundem loc. cit. Præsepium illud hodie etiam Eremitis & qui loca sancta visitarunt (hoc quomodo hic conspici & Romæ in Bæsilica S. M. Majoris assertari queat, ipsi videant Papales,) conspicendum præbetur, quod marmoreum esse & qua longitudinem $5\frac{1}{2}$. Spithamarum, qua latitudinem $4\frac{1}{2}$. testatur Joh. Jac. Breuning in Itinerario suo p. 258. Hic queritur etiam an statulo hunc Bos & Asinus adstiterint? quod quidem Veteres nonnullos in Ecclesia occidentali persvatos fuisse ex antiqua illa Cantilenâ constat:

*Cognovit Bos & Asinus
quod puer esset Dominus.*

Sed quid hac de re sentiendum sit informet nos magnus noster Chernitius. *Multa*, inquit, *veteres de Bove illo & Asino philologasti sunt, sed conjectura tales, si sobrie usurpantur, si ut non omissè ex agitanda, ita nec temere asserenda pro dogmate. Nec opus est dubia & incerta, licet speciem aliquam verisimilitudinis habeant curiosius conjectari, cum in illis evolvendis quæ Spiritus S. per Evangelistam lucis commendavit, ut illius operam colligere possimus.* conf Flarm Evang. c. VIII. videlicet quoque Aegid. Strauch. in Dissert. de Annalibus Bethleemiticis §. VIII. nec non Casaubon. in Exercit. de rebus iacer. & Eccl. ad Annales

Eccles. Baronii Ann. I. Num. III. p. m. 113. Nos existimamus ingeniosum hoc Veterum inventum esse, & conjicimus illud ipsum ex verbis Greg. Nysseni, qui in hac prorumpit verba: *Praesepē bestiarum est Domus in quā Verbum nascitur, ut cognoscat Bos possessorem & Afinus praesepē Domini sui.* Bos autem est *Iudeus Legi subjugatus;* Afinus vero animal oneribus ferendis aptum; *Genitilis sub gravissimo idololatrie jugo gemens &c.* in Sermone de *Nativitate Christi.*

§. III.

Dè hoc Stabulo, in quo Lux mundi in lucem prodiit, jam inter Eruditos controvertitur, extra ne an intra Urbis Bethlehem pomoeria sitū fuerit. Ubi nonnullis prius, nonnullis vero posterius perplaceat. Præcipius cuius animo prior sententia arridet Baronius existit, hic stabulum hocce extra Urbem in Suburbium collocat, quem sequitur in Eborenſi quondam Academia sacrarum literarum Doctor & Professor Sebastianus Barradius è Societate Jesu, qui speluncam hancce extra Urbem sitam fuisse multis persuadere conatur, non quidem in suburbio Bethlehemito ut vult Baronius, non tamen procul ab ipsa urbe in agro, Quem ex recentioribus non pauci iiq; gravissimi Scriptores seqvuntur. Cajetanus peculiarem plane fovet sententiam, existimatque Mellitissimum Salvatorem in casu pastorali natum genitumque esse. Ast audiamus quæso quibus fundamentis sententiam suam superstruant ac quibus armis pugnent. Provocant tū ad testimonia fide dignissimorum Patrum, tū ad rationes quæ hoc ipsum svadere necessario videntur. Initio provocant ad Justinum Martyrem Seculi II. Scriptorem ut famigeratissimum sic fide dignissimum. Ejus verba ad fidem faciendam allegant ex Dialogo cum Tryphone sequentia: *ινδριας των φειδηστων οντων επικεντρωνεις στη καμψη εκείνη των καπαλίνσαρχος σπηλαιών πολιτευγμός της καμψης καπάλινσαρχος η οντων επικεντρωνεις η μασέλα της χειριστηρης*

de Phatn autem in dñis. Quoniam Josephus non habebat in vico illo ubi diversaretur in spelunca quadam qua vico propinquae erat diversatus est, ibi cum esset Maria Christum peperit. H. I. Provocant porro ad Epiphanium ejusque haeresin LI. ubi haec occurunt verba: ἵ μὲν γορὰς λόγης εἰσαρχαντας τὸν παιδεῖον παγγέλιον καὶ καθέσαι ἐντῇ Φάτνῃ καὶ ἐπαλιών, διὰ τὸ μὴ εἴναι τὸν τῷ καταλίματι. Lucas dicit puerum jacuisse in Praesepio & in spelunca, eō quod non esset locus in diversorio. Hoc Epiphanius testimonium suæ sententiae favere acriter contendunt, eo quod locus in quo Salvator genitus fuit exsertis plane verbis spelunca vocetur. Ipsi quoque Origeni mentem hanc adscribunt, eō quod locum Nativitatis Christi itidem speluncam salutet lib. I. contra Celsum, ut & Gregorio Nysseno qui eodem plane nomine tituloque locum Nativitatis Christi effert ac describit in oratione de Christi Nativitate. Provocant etiam ad Fuscebium Pamphili, qui insigni alioquin apud Eruditiores pollet autoritate, qui agrum ostendi solitum ait, ubi virgo partum admirabilem est enixa Lib. VII. demonstrat. Evangel. confer Baronium Annalib. Tom. I. ad Ann. II. num. II. Barradium quoque in Commentar. in Concordiam & Historiam Evangelicam Tom. I. Lib. VIII. cap. XIV. Et haec præcipua Patrum testimonia ad sententiam suam firmandam undique corradunt.

§. IV.

Quibus tamen testimoniorum scriptorum fide dignissimorum alii non contenti, sententia suæ robur firmissimum ex ratione manifesta certaque adjicere allaborant. His armis decertare Cajetano perplacet, qui difficile putat esse intellectu, quomodo ignoraverit Herodes Christum à Magis esse adoratum, si in ipsa Urbe adoratio facta esse ponatur; hanc autem difficultatem facile expirare, si extra muros Christus adoratus, genitusq; esse credatur. Existunt etiam nonnulli qui

horum vestigia premunt ex Historia Pastorum idem colligi possè autem tantes. Nam si intra muros præsē illud fuisse, quomodo, inquiunt, nocte intempesta percutiunt aut Urbem ingredi aut stabulum invenire Pastores, in quo illud præsepe. Ulegent valdè beneque Herodem non in ipsa Bethlehemi Civitate duntaxat, sed extra Urbem quoque bimulos interfecisse pueros, eisque violentas injecisse manus, quod indicio esse putant speluncam hancce non in Civitate sed extra eandem locatam sitamque fuisse. Ethisce rationibus confisi pro negativa tanquam pro aris ac focis dimicant.

§. V.

Sed meritò hic laudem encomiumq; meretur *inxerens* judiciumque Eruditissimi Catauboni in Exercitationibus de rebus sacris & Ecclesiasticis ad Cardinalis Baronii Prolegomena Exercit. II, ad Ann. I. Num. II, qui omnes haec sententias & si quæ aliae istis similes in Theologorum scriptis leguntur originem procul dubio inde habuisse opinatur, quod proprieiores fuerint viri eruditæ ad Conjecturas suas in medium proferendas, quam mentem Scripturarum diligenter rimandam. Nos itaque cum Autore laudato asserere non dubitamus in ipsa Urbe Bethlehem, non in spelunca aliqua extra Urbem posita aut in suburbio, multò autem minus in casa aliqua pastorali, Regem Messiam partu B. Virginis fuisse editum. Idque propter gravissima argumentorum pondera momentaque. Ac primo quidem propter testimonium seu vaticinium à Michâ Prophetæ editum, qui expressis plane verbis in ipsa Bethlehemi Urbe, non prope vel extra eandem Messiam natum iri pronuntiat. Ipsissima Prophetæ ex cap. 5. v. 1. & 2. sistimus verba, quæ in fonte sic fluunt: וְאַתָּה בִּיתָּה-לְהֹסֵד מִשְׁמֶרֶת כְּפָרְתָה צָרָה לְהַיָּת כְּפָרְתָה בְּשִׁירָאָרֶן: Quæ Benedictus Arias Montanus Hispanensis sic *et nida* vertit: Et tu Bethlehem Ephrata parvulus ad existendum

9

in Dominatorem Israël. Hic expresse Prōpheta nō p̄ adhibet, quæ particula institutum nostrum satis comprobat. Cui clarissimo Dicto Propheticō ex Novo Fœdere adjicimus ea qvæ Divus Matthæus de Loco Nativitatis Christi Servatoris refert scriptor gravis omnique exceptione major. Hic expresse affirmat Iesum natum esse ēt Bēthlēem r̄is iudeā, in Bēthlēem Iudæe. Id quod significant Pontifices & Scribae Herodi locum Nativitatis Melliæ percontanti. Ita enim Matthæus Evangelista: *Et convocatis, inquit, omnibus Pontificibus & Scribis Populi percontatus est eos (Herodes) ubi Christus nascetur.* At illi dixerunt ei ēt Bēthlēem r̄is iudeā (nonnulla exemplaria legunt iudeā) in Bēthlēem Iudæe. Sic enim scriptum est per Prophetam: *Et in Bēthlēem terra Iuda, nequaquam minima es inter Principes Iuda.* Ex Te enim mihi prodidurus est Dux qui gubernaturus est populum meum Israël. Imò Herodes clam accer- sitis Magis postquam accurate perquisivit ab illis, quo tempore stella apparuisset, eos ire iussit ēt Bēthlēem, in Bēthlēem, cap. II. v. 1. §. 6. 8. Id quod Lucas Evangelista per omnia comprobavit. Describens enim Decretum à Cæsare Augusto exiisse, ut totus orbis censeretur, omnes ivisse refert in suam quemq; Civitatem; Josephum quoq; ascendisse à Galilæâ tradit de Civitate Nazareth in Judæam ēt πόλην Δαεὶδ in Civitatem David, quæ vocatur Bēthlēem cap. II. v. 1. usq; ad 4. addit ibi (scil. in Civitate) peperisse Mariam. Accidit autem, inquit, quum essent ixē, completi sunt dies pariendi: Et peperit filium suum primogenitum ac fasciis cum involvit reclinavitque eum in præsepi quod non esset locus in diversorio v. 6. & 7.

§. VI.

Accedit ad sententiam affirmativam consensus Patrum Græcorum ac Latinorum, quem valdè urget Casaubonus hinc dicit: *Hoc vero quis veterum Patrum pr̄ter Justinum dicit? Quis Latinorum, scripsit, natum Iesum iyyūs Bēthlēem prope*

B

Beth-

Bethlehem autem est ēēlou Bethlehem in finibus Bethlehemi? Omnes ad unum consentiunt peperisse Virginem ēēlou Bethlehem & ipsam speluncam, cuius toties mentionem faciunt, in ipsā Urbe fuisse non obscurè iidem ostendunt. Provocat ad Origenis verba sequentia: διενεργεῖ τὸ ἡ Βηθλέημα στήλαιον, ἵνα εἰπεῖται. Ostenditur in Bethlehem spelunca ubi natus est. Urget non dicere Origenem ostensum fuisse id antrum ad Bethlehem sed in Bethlehem i. e. juxta Glossam Autoris juxta muros Urbis. Annotat quoque idem, verum quidem esse, Romæ natum videri, qui ad Urbem natus est & in continentibus ædificiis; quod auctoritate Pauli Juris consulti ex lib. 2 dignit. de verb. signif. probat; sed cum nemo Veterum præter Justinum id reperiatur memoriae prodidisse, omnium potius quam unius sententiam sequendam esse putat. conf. Casaub. loc. cit. Quæ sententia Caſauboni non conjecturis innititur sed auctoritati ipsius Eusebii, qui omnibus Ecclesiæ Patribus hanc tribuit mentem. Non poenitebit ipsa Eusebii transcribere verba: *Omnes conſentuntur in Bethlehem Christum esse natum.* Demonstrat. Evangel. lib. III. cap. II. Nos ad compendium rei faciendum unum alterumve ex Patribus tam Gæcis quam Latinis loquentem facimus. Ac initio prodire jubemus Athanasium Diaconum primò, post Episcopum Alexandrinum, qui sic in locum Nativitatis Christi commentatur. Ὡς δέ ὁ Βηθλέημα ἡπειρωνεταὶ ὄμοι, τῷ αὐτεῖσιν γενέθαι ὁ ἀρτός τῆς Γαλικίας αἴστων τῷ περφέτῳ Μυχῶν. Quod autem in Bethlehem, quod est si interpreteris Domus panis nasciturus esset panis vita, audiamus Prophetam Michæam Quæſt. 136. ad Populum Antiochen: A quâ sententiâ non ablidit Theodoretus Cyri in Syria Episcopus qui hæc habet: καὶ τὸ πατρὸῦ ἐπὶ τὸς περφέτων τὸς ἀληταὶς ἔχθρος τῷ πρώτῃ οὐρανῷ ἴστε, αἱ δὲ τῇ Βηθλέημα ὄχριστος γενάται. Et Paradoxum est, quod manifestissimi Veritatis Hostes Herodi dixerint, Christum in Bethlehem nasciturum esse. Basilius re & nomine Magnus de-

Nativitatis Christi loco sequentia tradit: *¶ dō inōs yevn̄jir-*
¶ Cnōis ē Bēthlēm n̄c Isdāiq ē n̄jāgic ip̄wđe. Cyprianus
 de Nativitate Christi hæc habet: *Nox illa omni luce clarior,*
sermones angelici, pacem hominibus nuntiantes, designato loco
Bethlehem, ad querendum puerum cohortantur. Veniunt in Beth-
lehem quem prædictis Gabriel, invenitur Immanuel; Civitas parva
domus paupercula, suppedita exigua. Ipse quoque Augustinus
cum reliquis Latinis Patribus hanc tuetur sententiam. Sic
*enim: *Natus est, inquit, in Civitate Bethlehem, quæ inter omnes**
Judeæ Civitates ita erat exigua, ut hodie villa appelletur. Lib. de
 Catechizandis rudibus cap. XXII.

§. VII.

Sententiæ nostræ affirmativæ pondus adjicitur ex eō,
 quod stabulum seu spelunca in qua dulcissimus Salvator in
 lucem editus est non extra sed in ipsa Urbe seu vico viato-
 ribus olim monstrata fuerit. Ita enim Hieronymus devotissimam Paulam in ipsa Urbe Bethlehem stabulum Nativita-
 tis Christi visitasse refert. *Bethlehem, inquit, ingressa Paula &*
in specum Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum virginis di-
versorum & stabulum in quo agnovit Bos possessorem suum &
Afinus praesepe Domini sui, ut illud impleretur, quod in eodem Pro-
pheta scriptum est. Beatus qui seminat super aquas ubi Bos &
Afinus calcant; Me audiente jurabat, cernere se oculis fidei infan-
tem pannis involutum, vagientem in praesepi Domini num, Magos
adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem Virginem nurvi-
tum sedulum, pastores nocte venientes mixtiq. gaudio lachrymis
loquebatur: Salve Bethlehem Domus panis, in quō natus est ille
panis, qui de Calo descendit, salve Ephrata Regio uberrima atque
xapoθēps, cuius fertilitas Deus est: de te quondam Micheas va-
ticinatus est, & ego misera atq. peccatrix digna sum iudicata deo-
sculari praesepi in quo Dominus parvulus vaguit! orare in spelun-
ca in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem! Hic requies

mea, quia Domini mei Patria est! Hic habitabo quoniam Salvator elegit eam. Paravi lucernam Christo meo! Anima mea illi vivet & semen meum inserviet ipse. In Epitaphio ejusdem ad Eustat: Tom. I. opp.

§. VIII.

Accedit etiam hoc, quod Scriptores, qui Terram S. delineare, uno quasi ore referant, non extra sed in ipsa Urbe speluncam hancce sitam esse. Fidem huic rei facit non tantum Adrichomius, qui sequentem in modum antrum hocce describit: *Erat, inquit, in extremitate Urbis orientali rupes non multi à muro disposta, in qua pro more terrae illius locus pro stabulo erat; in stabulo ipso excisum erat praesep ex ipsa rupe, in Theatro T.S. p. 41.* Sed Borchardus quoque haec de Spelunca seu stabulo in quo Christus natus fuit conscripta nobis reliquit: *Ab Hierusalem duabus lencis contra Austrum sita est Bethlehem, in monte non tam excuso. Mons quidem arctus est extensus se in longitudine ab oriente in occidentem, ab Occidente patet ingressus. In fine orientali sub rupe quadam existente tunc temporis juxta parietem urbis ortus est de Virgine Christus. Juxta rupem prae dictam alia est capacior quatuor tantum pedibus distans, sub qua excavatum praesep fuerat, in quo Dominum Virgo reclinavit. Videtur tamen mihi utramque rupem unam, sed officio facto diversam fuisse per quod in chorum ex capella in qua est Nativitatis locus ascenditur.* Haec Borchardus part. I. cap. VIII. §. 56. Beda quoque haec annotat: *Bethleham in dorso sita est angusto ex omni parietib[us] circumdato ab occidente in orientem mille passibus longa, humili sine turribus muro. In cuius orientali angulo quasi quoddam naturale semiantrum est, cuius exterior Nativitatis Dominicæ fuisse dicitur locus, inferior Domini praesep nominatur. De locis Sanctis cap. VIII.*

§. IX.

Nec hic reticendum putamus Constantini Magni Matrem

trem piissimam Templum speluncæ, Natali Salvatoris loco non extra vel propè sed intra Bethlehemum superstruxisse quod Sozomenus lib. II, Histor. Eccl. Ipse quoque Eusebius lib. 3, de vita Constantini Magni refert. Et hisce rationibus freti tuto affirmamus, antrum seu stabulum in quo Christus natus est intra Urbem Bethlehem situm fuisse, nec illis assentimur, qui extra Urbem collocant, *quia id in summa dicunt*, quod Scriptura, addimus Antiquitati universa repugnat ut loqui amat è Pontificiis Maldonatus Comm. ad Luc. Ev. c. II. v. 7.

§. X.

Nec movent nos vel Autoritates vel Testimonia Patrum aut etiam rationes Antagonistarum, ut ab affirmativa recedamus sententia. Nam quod Testimonia attinet, quæ pro sententia sua adducunt nonnullorum Patrum Græcorum. Illis opponimus dissensum reliquorum Patrum. *Et quum nemo Veterum præter Justinum id reperiatur memoria prodidisse, cur unius potius quam omnium sententiam sequamur.* Verba sunt Isaci Casauboni Exercit II, ad Cardinal. Baronii Annales p. m. 122. Sed nec simpliciter concedimus Patres Græcos hanc foviſſe sententiam. Nam quod Justinum Martyrem spectat, fatemur euidem locum jam jam allegatum Eruditis crucem figere. Sed præter id quod Casaubonus annotavit, Justinum Martyrem secutum esse Versionem septuaginta Interpretum ubi apud Esaiam cap. XXXIII. v. 26. hæc occurunt ἐτσούσιος ἡ οὐρανὸς αὐτὸν πέτερος ἵζειν. Hic habitabit in speluncæ sublimi rupis valide. Quia verba tamen Veritas Hebraica minime agnoscit, ne latina quidem Vetus Interpretatio. *Iste in excelsis habitabit munimenta saxonum*, ubi nulla plane speluncæ mentio fit. Quem errorem Justinum in alium errorem impulisse existimat Casaubonus, ut putaverit Christum in altâ quādam spelunca præruptæ rupis fuisse natum, quia ejusmodi antra in Urbibus reperiri non solent. Itaque

non in urbem sed ad Urbem Bethlehem Mariam divertisse atque ibi Christum penerisse; Prater id in quam sciendum, Contrarium quasi sui immemorem dubiumque statuere Origenem, quod evincunt sequentia que occuruntur. Apolog. II. οπε δι καὶ τῆς γῆς γεννῶσαι εἰς θεῖαν προστέπειν ἐπερθεῖ προδίκης οὐ Μυγδαλαῖς αὐτούσι τοῦ θεοῦ οὐτός καὶ σὺ Θεόλειμος γῆ ιδού εἰς τὰ γαῖς ὑπελεύσεται πρόμανθε. Ibi vero Terrarum etiam nasciturus esset sic ut alius Propheta predixit Michaelis, audite. Ille autem locutus est: Et tu Bethlehem terra Iude ex te enim egreditur Dux, Conf. ejusdem Dialogum contra Tryph. Jud. Id quod Montacutius ipse differenter non potest sic pronuntians: In secunda Apol. Michaelis testimonio advocato docet natum Bethlehemi & Imperatores Romanos, apud quos αἴροντας securum dicere intelligant, certiores reddendos remittat ad Tabulas Cyrenii censuales. Et eo in loco etiam, quo συνεργὸς usurpat disertissime Bethlehemi natum profiteatur γεννῶντας, inquietus, τότε τὸ παύοις εἰς Βηθλέεμ Ita magno conatu magnas nugas agunt, qui Justinum calumniantur quasi negaret ille Christum natum Bethlehemi. Non una vice sed disertis verbis profitetur, nec dissentit ab Evangelista de Orig. Tom. I. p. 27.

§. XI.

Nec Epiphanii Autoritas hic nobis obstat, qui stabulum hocce in quo Christus natus est speluncam euidem vocat cum reliquis patribus sed speluncam illam extra Urbem sitam fuille nullibi asserit. Contrarium probamus ex scriptis ejus: *Vere corpus de Maria habuit (Servator) sibi ipsi carnem de sancta Matre efformavit, & animam & mentem humanam accepit, & totum id quod est homo excepto peccato in se ipso per suam Deitatem cunivit natura, est in BETHLEHEM* Tom. I. lib. I. Hær. LI. Concedimus quoque patres tam Graecos quam Latinos stabulum Nativitatis Christi paullum speluncam vocare, eò quod stabulum hocce in laxis fuerit excisum conf. Casaubonum loc cit. Sed speluncam hancce extra Urbem sitam fuille silent. Quod Eusebii locum attinet, illum ex instituto si pievis à nobis laudatus Casaubonus vindicavit ostenditque quod apud Eusebium hodie legatur *in agro neferio quo natum esse Dominum turpe esse Exscriptoris mendum, qui pro ἀστρῷ αἴρει posuit, id quod ex Eusebii verbis demonstrat Probat quoque promiscue adhiberi agrum & antrum in vita Constantini lib. 3. de Helena Augustā. Nec Cajetanum Cyprianus juvat, qui nativitatis Christi locum calam euidem vocat, non tamen rusticam aut aliquam Agricole domum, sed propter angustias & humilitatem earum aedium, eoque quod à Cultu & splendore ut & capacitate magnarum aedium*

nec

nec non diversorii paulo lautioris longius recedebat annotante hoc ipsum
Montacutio Tom. I. Origin. p. 27.

§. XII.

Nec rationes Antagonistarum tantas esse judicamus, ut à nobis licet
tutoque assumi queant. Quod enim Cajetani rationem attinet, qui putat
intellectu difficile esse, quomodo Herodem fugerit Servatorem à Magis
fuisse adoratum, si in ipsa urbe adoratio facta esse credatur. Que difficultas
tamen ex ejus mente facilis expiraret, si Christi Nativitas extra Urbem
contigile ponatur. Ad hoc cum Isaaco Casaubono regerere tutò siceret
Providentia divinae adscribendum esse, quod de facto Magorum nihil re-
sciverit Herodes, nisi sciremus annotare Exegetas dolosè hic egisse vulpisq;
naturam induisse Herodem, ne turba Nativitas Christi nota fieret. Et
hanc rationem magnus noster Chemnitius dat, in hac prorumpens verba
notatu dignissima: *In publico, inquit, Concilii consessu audita ex oraculis
prophetici sententia responsum Magis dare solebat, quin potius ad se
clam vocatis jubebat, ut turba non conscientia proficerentur Bethlehem, &
si invenirent Regem, ne illicò in vulgus hoc effurerent, sed sibi ut Magistra-
tui renunciassem. Ne uni quidem de suis Ministris, ne dolus magis sub-
beret, subiungebat. Meditabatur sic Messiam, priusquam populo innoce-
ret ejus Nativitas, opprimere.* H. l. Harm. Evangel. cap. 10. Nec obstat
objecio de Pastoribus, quomodo scilicet si stabulum intra muros Civitatis
exitit, noctu urbem ingredi potuerint? Responso enim in promptu est,
modo consideremus Bethlehemum πόλιν Δαβίδ ut audit Luc. II. 4. vocari
νεώτερον Vicum Joh. VII. v. 42. Quod Glossarium bene vertit per villam, ca-
stellum, vicum. Id quod interpres non fugit, hinc Hieronymus literarum
ut Ebreorum ita Graecarum peritissimus modo villam nominat in Epistola
ad Marcellum, modo etiam villulam ut in altera ad eandem Marcellam,
aliquando vix paucum viculum ut ad Caput V. Michæ. A quo non parum
ablidit Theodoreus, qui χωρὶς ἀδόξουν καὶ σπαρτῶν locum ignobilem &
parvum Bethlehemum vocare non dubitat Serm. V. Curationum. Ut pre-
tereamus apud Luc. cap. II. v. 4. In nonnullis exemplaribus non πόλιν sed
κάστρη legi, annotante hoc ipsum Epiphanio qui hanc observationem hisce
tradit verbis: Διό inquit, ἐν τῷ αὐτορυπαθῷ τῷ Ευαγγελίσαν καλλίτον
πόλις τελατεῖται εἰς ἀπόκομψην κατέστη διὰ τὸ εἰς ὀλέγυη γῆν αὐτὴν
κατέστη. c. Propterea in quodam Exemplari Evangelistarum vocatur Urbs
David, in alio vero ipsum vicum nominant, quod ad brevem terra modum
effet redella. Quid ergo vetat, quo minus Pastores vicum huncce ingredi po-
tuerint conf. Casaub. loc. cit. Nec obstat Herodem bimulos etiam extra Ur-
bis Pomoxia trucidandos curasse, furoti enim Herodis illud adscribendum

putant Eruditii. Quod hic Baronius objicit sua sponte corruit, cum non probet sed supponat falso, vicum Bethlehemiticum suburbia habuisse, quod ipsum ne verisimile quidem existit. Nos itaq; Testimoniiis fide dignissimis perivasi, Autoritatibus suspiciti ac rationibus non stringentibus. Antagonistarum suscipi, deq; habitis, affirmativa sententia, adhuc remus. Ubi subinde opidulo huic in quo ut argute Spanhemius loquitur, Filia tuum Patrem, serva tuum Herum, intacta Virgo Infantem peperit atq; in mundum exposuit, de tanta felicitate tantoq; Honore gratulati illud Prudenti acclamamus:

*O sola magnarum Urbium
Major Bethlehem cui contigit,*

*Ducem salutis calitus
incorporatum gignere.*

Illudque Evangeliste

ναὶ σὺ Βηθλέει γῆ Ἰσραὴλ ὁδῶν μίλωνται εἰ ἐν τοῖς πύρωσίν Ιερά. Et tu Bethlehē Terra Iuda nequaquā minima es inter Principes Iuda Matt. II. v. 6.

T A N T U M.

COROLLARIA.

Magos Christum adorantes Reges eosque numero tres fuisse valde dubitamus.

Magi nomen μάγος est & modo in bonam modo in malam partem à Scriptoribus usurpatum.


Zachariam Chrysopolitanum & Petrum Comesorem historie Scholasticæ Scriptorem, qui Magos Hebraice Apellium, Amerium, Damascum, Græce v. Μαγούλα, Παρθαρά, Σαρών dictos fuisse volunt mire perstrinxit ille, qui nomina Ator, Sator, Peratoras, substituit. Quod Salmeronem haud fugit, qui de nominibus hisce judicat ex fabrica aliquujus nebulonis esse & meras nugas, quibus impositum fuerit bono illi ut loquitur Patri Zacharie Chrysopolitano. Sed de omnibus hisce nominibus præclarè sentit Spanhemius ab hominibus otiosis ad Iudibria esse conficta. Ubi subiade miramur Salmeronem à Beda conficta & Magis imposita nomina approbare.


Stella que Magis apparuit Cometa vocari ac dici nequit.

Nomina Pafforum Bethleemiticorum Misael, Acheel, Cyriacus, & Stephanus cum Casaubono merito explodimus.

Patria Magorum, sine formidine oppositi determinari nequit, nec ut præclare monet Spanhemius apodictica rationes in hoc argumento vel pertendit vel expectanda.

Argumentum Salmeronis tria à Magis munera esse oblata, quod ternarius sit primus numerus pluralis, binarius vero dualis infamis frigidum commentum Eruditissimo Spanhemio judice existit.





BS

1501

V 115

Gyges. Novi Test.

I. Introd.

2. Archæol. u. T.

& hift. evangel.

I 61^o

SBB



N12<151496110010



EX HISTORIA ECCLESIASTICA.
DE
STABULO BETH-
LEHEMITICO IN QUO
HUMANI GENERIS REDEM-
PTOR NATUS EST

RE
SP
DO
RE
E
AMPL

STU
G.

